

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Mulier m
cum uariis

De industria dissuta fit tunica ut aliquid intus appareat; operitur quod fedum est et aperitur quod formosum est. Crispanti cingulo angustum pectus artatur; capilli in frontem uel in aures defluunt; palliolum interdum cadit ut candidos nudet humeros et, quasi uideri noluerit, celat festina quod detexerat uolens. Aliud pollicetur, aliud ostendit; lingua personat castitatem et totum corpus profert impudiciciam. Vix est ita turpis aut senio confecta que non gaudeat, et libenter audiat si dicatur esse pulcra. Delectant castas eciam preconia forme.

Ieronymus in epistola ad matrem et filiam.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

dissuta] dissura P V¹; uideri] uiderit C; impudiciciam] in pudiciciam P V¹; senio] semino P V¹; et filiam *om.* L²